



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

1. Qvod monachus officium diuinum accuratissimè debet explere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

**TRACTATVS**  
**PRIOR QVI DIRECTO-**  
**RIVM HORARVM CANONICA-**  
**RVM INSCRIBITVR, IN QVO**  
 religiosus instruitur, quomodo tam in nocturna  
 quàm in diurna psalmodia sese habere  
 debeat, vt illam debita cum atten-  
 tione & reuerentia per-  
 ficiat.

*Quòd religiosus magnopere debet esse sollicitus  
 circa diuinum officium.*

**CAPVT I.**

**I**N secundo libro Paralipomenon  
 ca. 29. scribitur: Filij mei nolite ne-  
 gligere, vos elegit Dominus, vt ste-  
 tis coràm eo, & ministretis illi, co-  
 latisq; eum. Quia igitur Deus ele-  
 git religiosum in suum ministrum, vt colat &  
 seruiat ei, oportet vt sciat, qualiter ei seruien-  
 dum est. Nam vt ait Gerson nihil ita primo &  
 præcipuè conuenit religioso, sicut digne & stu-  
 diose cultum replere diuinum, id est, horas ca-  
 nonicas, quas pater & dux noster Benedictus in  
 regula opus Dei nuncupat. maxime cum præci-  
 puum religiosi officium prout dicit beatus Hie-  
 ronymus sit diuinis laudibus vacare, offerendo  
 ei hymnos, psalmos, orationes, & sacrificia: &  
 per hæc populum Deo reconciliare sua & pro-  
 ximorum deslendo peccata. Vnde oportet mo-  
 nachum

nachum vigilanter ac diligenter studere, vt feruitutis suæ p̄sum dignè valeat exoluere, ne illa eum Hieremiæ Prophetę formidanda comprehendat maledictio; Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter.

*Quòd necessarium sit religioso, se ante vigilias preparatum reddere ad diuinum officium persoluendum.*

## CAPVT II.

**L**Egitur in Ecclesiastico: Ante orationē præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Legitur præterea in collatione Abbatis Isaac, quod quales cupim⁹ in oratione inueniri, tales ante eam oportet nos præparari. Scribitur quoq; in libro, qui dicitur Speculum monachorum: Stude excitare cor tuum aliqua deuotione præueniens horam canonicam, quam dicturus es. Sume tibi exemplum à paupere, qui cùm vult eleemosynam ab aliquo diuite exposcere, studet eum præuenire: cogitans quibus verbis ad impendendam optatam eleemosynam valeat eum flectere. Inspice quoque aliquem mortis reum, antequam contra eum feratur sententia, quàm studiosè nititur cogitare, antequam sistatur iudicis tribunalibus, quid poterit perorare cùm ei astiterit, quod eum valeat ad misericordiã inclinare. Similiter seruus Dei antequam appareat in conspectu diuinæ maiestatis sollicitè cōsiderare habet, quomodo & quibus verbis eius misericordiam possit flectere. Grandis igitur fratres & temera-

mera-